DISSERT
super
vers. IX. C

PROPH
AMO

quam
Divina annuen
SUB PRÆ
V I R
Nobilissimi, Amplissimi a
DN. JOHANNIS
OSIAN
Græcæ & LL. Orientt. Prof
famigeratissi
Domini Patroni atq; Præcep
atque obsequii cultu ætern
pro consequenda legitimè
publico examini
RESPONDE
JO. JACOBUS LAITENBE
Seren. Stip. & Magist
In Auditorio Philosoph
Ad diem *Junii Anno*

TUBINGÆ, Typis JOSE

ERTATIO

super

X. Cap. I.

PHETÆ

MOSI,

quam

nuente gratia,

PRÆSIDIO

I R I

issimi atq́ Excellentissimi

NIS RUDOLPHI

ANDRI,

tt. Prof. Publ. Ordin. longè

igeratissimi.

Præceptoris sui omni pietatis

ltu æternum devenerandi,

da legitimè laurea secunda,

examini submittit

SPONDENS

TENBERGER, Kircho-Tecc.

& Magist. Candidatus.

Philosophorum æstivo.

unii Anno MDCCXVIII.

---

bis JOSEPHI SIGMUNDI.

S 1585
075
718
l
are

Σὺν Θεῷ!

Textus. Amos. I. v.IX.

כֹּה אָמַר יְהוָה עַל שְׁלֹשָׁה פִּשְׁעֵי־צֹר וְעַל־אַרְבָּעָה לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ עַל הַסְגִּירָם גָּלוּת שְׁלֵמָה לֶאֱדוֹם וְלֹא זָכְרוּ בְּרִית אַחִים׃

כה Sic, Chald. כדנן Secundum hæc, est heic particula adfirmativa & similitudinis, non verò loci, uti sumitur alias Gen. 22. v. 5. Exod. 2. v. 12. neque temporis, uti legitur Exod. 7. v. 16. 1. Reg. 18. v. 45. quod quidem ex contextu semper patet.

אמר dixit, prolocutus est. Denotat hoc verbum non semper ipsum sermocinationis actum, sed in multis S. Scripturæ locis pro cogitatione sumitur ex. gr. Psalm. 10. v. 6. & 11. Ps. 14. v. 1. Ps. 53. v. 2. ubi quidem semper respectus habetur ad לב, nam dicere in corde suo idem est ac cogitare, quia sine terminis cogitare non possumus, sed illos, dum cogitamus quanquam sæpe non reflectentes neque attendentes in animo nostro formamus. Quin' cum etiam detur λόγος γραπτὸς, nullum est dubium, quin τὸ אמר huc quoque queat aptari, cui tùm responderit illud Zacharianum Luc. 1. v. 63. καὶ αἰτήσας πινακίδιον ἔγραψε λέγων. cum tamen sequenti demum versu os ipsius apertum fuisse dicatur.

Nemini autem mirum videatur, quod divinus noster vates firmissimo auctoritatis divinæ fundamento suum superstruat vaticinium: erat enim hæc communis ratio, qua sancti oraculorum divinorum Interpretes vocationem suam immediatam atque revelationis divinitatem probarunt, omnemque proprii figmenti suspicionem à se amoverunt, ex quo prophetia non fluxit 2. Petr. 1. 21. Principium etiam unicum, ex quo omnes Theologicæ conclusiones deducuntur, hoc est: Dominus dixit, vel verbum Dei.

יהוה JEHOVAH ex revelatione Mosi facta & explicatione ineffabilis hujus nominis Israëlitis notus. Exod. 3. Est verò hoc proprium DEI nomen à rad. הוה Ipsum ab essentia sua denominans, quod egregiè fidelissimus verborum ipsius Interpres Johannes Apoc. 1. v. 4. exprimit, scribens: Εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Sunt etiam qui piis suis meditationibus paulo altius evecti non sine singulari eruditorum adplausu & suffragio

fragio augustissimum illud Nomen tres temporum formas יהי הוה היה in se continere perhibent, neque curant nimiam eorum curantiam, qui si derivatis hoc nomen sanctissimum accenseretur, perfectioni ipsius aliquid detractum iri prætexunt, aut de eo operoso conatu soliciti sunt, quasi si hæc steterit sententia, in Deo successio temporis statueretur: nam quidquid regeratur, semper eo res recidit, quod ipse S. Codex Deum vocet ab Heri & Hodie, neque tamen temporis successionem, sed absolutam ipsius æternitatem atque immutabilitatem innuat, quod sanctissimus ipse Deus Mosi quærenti injunctum vult, ut Israëlitis Eum suppetias præstiturum significaret, qui vocatur אהיה אשר אהיה Ero, qui ero, vel sum qui sum, quod nihil aliud indigitat, quam Deum esse Ens existens ab æterno in æternum, omnibusque aliis extra se essentiam & existentiam communicare. vid. plur. in Dissert. Excell. Dn. Præsid. de nom. Tetrag. יהוה. Cum verò sanctissimum hoc Nomen Deo sit essentiale, & sic omnia Dei attributa, inter quæ est justitia ipsius vindicativa, quam fusius Propheta noster per integrum hoc caput declarat, involvat, cum magna Emphasi in hac legali concione præfigitur. Est autem incommunicabile omnibus aliis Creaturis extra Deum subsistentibus, interque hos ipsis etiam Angelis, qui quanquam sint Legati Dei, splendidissimo tamen hoc ipsius Titulo insigniri nequeunt. Et hoc priscis Patriarchis ante Mosen non fuit ignotum, Gen. 9. v. 26. Illud enim Exod. 6. v. 3. non formaliter, sed pragmaticè de singularissima demonstratione Majestatis ac virtutis, quæ Nomini divino insit, intelligendum, vel juxta Dannhawerum interrogativè explicandum est per nonne? vid. B. D. Dorschei Pent. disp. 12. §. 14. Opposuit illum Propheta non solum falsis Gentium Diis, quibus Israelitæ se submiserant; vix enim gens facilius ad impietatem & πολυθεότητα ethnicam prolapsa est, ex qua ratione illorum Idolomania toties redarguitur, sed etiam omni cordis figmento, sub quo Israëlitæ vero Deo inservire cogitabant; cui accensemus imagines vitulorum, quos Deum Patrum suorum repræsentare sibi persuadebant. Peculiare habet sacrosanctum hoc nomen Synonymum dum vocatur שם הקדש nomen sanctitatis, quo essentialis supremi Numinis sanctitas, puritas & infinita justitia pulcherrimè significatur. De ulteriori tremendi hujus Nominis expressione consulantur Viri docti, quorum integros de eo commentarios scripsere aliqui. vid. Scriptores ad Levit. 24. Maimon. More nebochim. Lib. 1. c. 61. &c. & Drus. de nomine Tetrag. Seld. de Jur. nat. & Gent. Libr. II. c. 12.

על שלשה וגו Hactenus Propheta in genere & in specie iram Dei gravissimis

victimis judiciis adversus peccata flagrantem denunciaverat, nunc ad Tyrios se convertit, parrhesia hac atque zelo prophetico docens, quod officio Elenchtico àministro Ecclesiæ satisfieri nequeat per generalem tantum peccatorum stricturam præsertim in vitiis dominantibus. Retegit autem illa sub nomine פשעים, quod quidem in genere de peccato accipitur, specialiter autem defectionem vel Apostasiam notat, & de peccatis proæreticis frequenter usurpatur. Sacræ enim literæ sub hujus nominis etymologia producunt eas prævavaricationes, quæ contra primam legis divinæ tabulam sunt, ut Spirituale adulterium per idololatriam commissum Esaj. 50. 1. abominationes, quibus hostes Ecclesiæ expurgandis immittuntur Ezech. 39. 24. Esai 1. 28. Dan. 8. 13. de transgressione secundæ tabulæ, Exod. 22. 8. damnosis iræ effectibus, Prov. 29. 22. de peccatis oris, Prov. 10. 19. cap. 12. 13. Operum, Prov. 29. 16. profano mentis epicureismo, Ps. 36. 2. imò de enormitatibus jura naturæ violantibus, qualis erat iniquissima filiorum Jacobi in fratrem Josephum per attentatum fratricidium, commissum plagium & veteratoriam mancipationem grassatio, cui ipsimet hunc titulum imposuerunt Gen. 50. 17. Ipsæ sacræ literæ gradum majorem inter פשע prævaricationem & חטאה vel quodcunque peccatum agnoscunt Job. 34. 37. Vi ergò hujus deductionis divinus vates in accusatione graviorum delictorum occupatus est, quæ quomodo sub certum numerum tum hic tum etiam in antecedentibus & sequentibus redigat dicendo על שלשה וגו nunc secundum variantes sententias dispiciendum est. Alii enim hunc numerum accipiunt ordinativè, acsi ad primum, secundum & tertium erratum Deus quidem connivere & moram ferre queat, accedente quarto ad judicium & retributionem sese accingat, quorsum trahunt locum Jobianum c. 33. 29. qui tamen sub determinato numero sæpius repetitum condonationis actum videtur inferre. In hunc sensum Aben Esra de trina dehortatione à peccatis, quam quarta vice retributio sequatur, explicat. Sed non opus est hic à numerò cardinali recedere, quamvis in áliis Scripturæ locis id fieri soleat vid. Glassii Philologia sacr. Lib. III. Tr. 1. c. 14. Quidam per tria & quatuor graviora & dominantia vitia subinnui volunt, quæ quasi chorum inter reliqua peccata ducant. Alii ad speciem deflectunt & R. Abarbinel, qui cum quartum semper penes omnes nationes à Spiritu Dei determinatum inveniatur, reliqua tria æqualiter inter sex illos populos censuræ divinæ subjectos liberam grassationem invenisse ait nominatimque exprimit עבודה זרה Idololatriam, גלוי עריות retectionem nuditatis & irreverentiam sanguinis ac incestum, &

שפיכות דמים effusionem sanguinis i. e. homicidium, quorum trium scelerum intrinsecam malitiam atque illegalitatem hæ gentes agnoscere potuissent, nisi & luminis naturalis scintillas extinxissent. Hinc satis erat hasce gentes ipsi naturæ legi vim fecisse, & novisse, quod qui rei fuerant talium delictorum, qualia ipsæ per apertissimam tyrannidem & superbam defraudationem commiserunt, morte digni sint. Rom. 1. v. 32. Quidam nimium abludunt, & de tertia ac quarta generatione vitiosam vitæ consuetudinem per traducem quasi propagante explicant, respicientes ad locum Exod. 20. v. 5. Nihil enim de hominibus, sed de ipsis vitiis Propheta loquitur. Alii hunc numerum in compositione explicant, quatenus septem emergunt, qui alias dicitur numerus sacer atque perfectionis, mentem Prophetæ eò explicantes, quod mensuram peccatorum completam esse significare voluerit. Quorsum pariter respiciunt illi, qui per tria & quatuor indefinitè totum peccatorum cumulum expressum esse volunt, de quo exempla extant in Glass. Rhet. sacr. Tract. I. c. 15. de Synecd. In hunc sensum vindicta divina in peccatum diu cumulata demum exardescere statuitur, quæ Deus etiam in libro Omniscientiæ in numerato habet, memoriale enim in oculis divinis extat Malach. 3. 16. 18. imò accuratè novit, quando debitum ad myriadem talentorum ascendat. Matth. 18. v. 24. Et quamvis omnia peccata mortalia sint, quia infinitam Dei sanctitatem atque justitiam lædunt, unum tamen ratione circumstantiarum alio gravius est. Operæ verò pretium esse duximus, ut annotationem R. Sal. Jarchi super hæc verba huc poneremus, quæ ita leguntur in explicatione ad hunc locum על פשע רביעי אין עלי עוד להשיבו ריקם. מהשיב לו גמול וכל שכן שיש לו פשעים הרבה עתה את זה אפקוד עליהם vid. Buxtorf. Bibl. maj. cum paraphr. Chald.

לא אשיבנו: Non avertam illud, non parcam. Est hæc Conjug. Hiphilica, fut. temp. à rad. שוב, quod per se clarum esse judicamus. Hinc non immorabimur isti diutius, sed cum etiam hic in sententiarum divortia abeant, quid per verbum intelligendum, tum quorsum suffixum relationem suam habeat, dispiciemus. Alii enim de conversione vel reductione à via mala interpretantur, inter quos R. Sal. Jarchi, qui locutionem comparativam exinde facit, acsi per ellipticam concisionem posterius membrum omissum & hoc modo subintelligendum esset, si post tria delicta imo quartum non converto, quin sumam retributionem, quanto minus post plura & tam multa commissa? Alii in sensu absoluto in eundem modum interpretantur. Sunt

autem

autem alii, qui de reductione vel liberatione ex malo pœnali id accipiunt, quasi comminatio divina in continuationem status infelicis per judicia divina introducendi intenta esset. Hi omnes pronomen suffixum ad objectum personale respectum habere statuunt: quia autem hi populi in diversis numeris atque diverso genere à Propheta appellantur, pronomen autem neutrale est, ad objectum personale commode referri, & consequenter priores explicationes locum habere nequeunt, & facilior sensus emergere videtur, quando ad objectum reale accommodatur, quod est vel decretum divinum puniendi, quod non sit retractandum, in quo sensu in bonam partem accipitur Num. 23. 20. vel ipsum malum & decreta devastatio, quæ hic particulariter intimata est. Eodem modo hujus verbi sensus occurrit Prov. 29. v. 8. Quod si etiam hic sensus locum invenit, priores per tacitam connexionem involvuntur. Ubi enim Deus decretum puniendi non mutat, & calamitatibus publicis liberam & indeclinabilem grassationem adversus peccatores permittit, ibi mens absque conversione in sua corruptione adhuc immersa est, & retributio ipso facto sequitur. Illa ergo immutabilitas non fundatur in absoluta Dei voluntate, sed præsupponit prævisam hominum pertinaciam & perseverantiam in peccando: mallet enim divina bonitas constanter per benedictionis effectus hominem beare, si modo ipse gratiosam dispositionem admitteret, neque seipsum indignum redderet. Ps. 81. 14. 15. Esai 48. 18. Hos. 13. 9.

על הסגירם propter concludere illos. Præpositio על hic non videtur causam simpliciter denotare, ut in aliis Scripturæ S. locis, tam in objecto personali, ut Gen. 26. 7. 2. Sam. 1. 26. quam reali, Gen. 37. 8. sed simul cum denotatione causæ præcipuum illius punctum & aliquid singulare, quod præ reliquis majus addiderit pondus, in quo potissimum decernendi causa fundetur, sicut alias in conjunctione copulativa & officium connectendi & intendendi concurrunt. Ut Jos. 2. 10. Utitur autem Propheta hic voce הסגיר quæ in significatione Hiphilica & concludere, & haud rarò tradere aut prodere, uti heic quoque locum habere potest, denotat: nam plerumque qui ita tradebantur, in servitute detenti, vinculis & compedibus onerati miserrimam mancipiorum conditionem subire cogebantur, & dirissimis omnis generis cruciatibus à Tyrannicis suis Dominis herisque exercebantur.

גלות שלמה: exilium perfectum: reddidit B. noster Lutherus hoc modo: **darum / daß sie die gefangene weiter ins Land Edom vertrieben /** qui sensus facilè cum fonte conciliari potest. Notat Rabbi Sal. Jarchi ad hæc verba גלות שלמה sequentia: גלות ישראל היתה גלות שלמה שלא ימלט איש

איש שהיו עומדים על הדרכים ותופשים הנמלטים ומסגירים
אותם וכן עשו אנשי צור : De ſenſu Prophetæ in ſequentibus diſpiciemus.

לאדום : Edomo. Hoc nomine I. in ſacris inſignitur Eſavus frater Jacobi Patriarchæ, qui hoc cognomen accepit, vel ex ominoſa naturæ nota, quia rubicundus inſtar tunicæ pilloſæ ex utero exiit Gen. 25. v. 25. vel caſu quodam accidentario ita adpellatus eſt à ruſo edulio, quo privilegium atque jus primogenituræ commutavit, quod ipſæ S. literæ teſtantur. Gen. 25. 30. Non enim infrequenter fit occulto Dei judicio, ut in perennem vel alicujus facti laudabilis vel alicujus auſi deteſtabilis memoriam nomina quædam vel imponantur, vel ex communi plebis repetitione adhærere ſoleant Deut. 25. 10. vel in ſignum ſuperioritatis dantur Gen. 41. 45. Dan. 1. v. 7. nec tamen probatur inſana convitiatorum libido, qui variis probroſis nominibus proximum dehoneſtare, & plantam ipſi adfigere non erubeſcunt, vel quando ignominioſis titulis Eccleſia aut religio proſcinditur. Verum enimverò nomina nobis nihil nocent, modo in rebus nihil ſubſit Matth. 5. v. 11. 12. Quicunque autem Eſavi Saturnini ingenii ſtudia atque fata exactè ſcire voluerit, conſulat ſcripturam ſacram Gen. 25. 26. 27. 36. II. Hoc nomen eſt gentilitium, quod ſupponitur pro univerſa quadam natione, cujus conditor fuit Eſau vel Edom à quo Idumæi fuerunt adpellati Gen. 36. 43. Mal. 1. 4. ſqq. III. Ipſa regio hoc nomen induit Pſ. 60. 10. 11. Pſal. 108. 10. 11. Habitabant autem poſteri Eſavi ad montem Seir Gen. 36. 8. 9. Num. 24. 18. Joſ. 11. 17. IV. Per adpellationem Synecdochicam in commune omnes hoſtes atque perſecutores Eccleſiæ Edomitarum nomine venerunt. Eſaj. 63. 1. Joel. 3. 19. Addunt autem V. Judæi adhuc aliam ſpeciem, & in plurimis Scripturæ locis Edom interpretantur de Romano Imperio & ſtatu Chriſtianorum, omniaque vaticinia de deſtructione Edom agentia in Romam trahunt, & odioſam deſcriptionem Edomæorum vel Chriſtianorum addunt, ut R. Bechai in libr. rad. Hakkemach locum Eſaj. 66. v. 17. ſcruce ſe ſignantes deſcribit שרגילין להנענע אצבעותיהם לכאן לכאן qui conſueti ſunt movere digitos ſuos huc & illuc, & verba: poſt unam in medio tecta malitia exponit לשתי וערב של אדום de ſtamine i. e. filo oblongo & trama, i. e. filo tranſverſo Edomi: hoc modo crucem Salutis noſtræ ſignum adpellare ſolent. In hunc finem & lineam Imperatorum Romanorum ex Idumæis derivare laborant, & ex Chronicis ſuis ſtudent, vid. Buxtorf. Lex Talmud. voc. אדום Item Commentarius Rabbi Abarbinelis in hunc locum. Secunda autem ſignificatio potiſſimum hic locum habere videtur,

זכרו

ולא זכרו neque recordati sunt: Communis hæc est significatio hujus verbi, quanquam & à nonnullis ad odoratum transfertur, quando nimirum de sacrificiis usurpatur, quem in sensum trahunt Psalm 20. v. 4. יזכור כל־מנחתיך odoretur omnia sacrificia tua.

ברית fœderis. Unde suam trahat originem & derivationem hoc nomen, non conveniunt, qui circa indagandos vocum natales solicitè occupati sunt. Alii à voce ברה selegit, illud descendere contendunt, idque ex ordine, qui plerunque in pactis observatur, probatum eunt, cum eligantur, aut seipsas eligant personæ, quæ consensum suum de faciendo vel omittendo aliquo conjungunt. Alii malunt referre ad ברא & à cædendo derivant, cum victimæ cædi in pangendis fœderibus solebant, uti Gen. 15. v. 10. clarissimum ejus rei documentum nobis exhibetur. Quamcunque quis amplectatur sententiam, litem nos ei moturos non esse pollicemur.

אחים fratrum, à sing. אח. Est hoc generale nomen, & non tantum fratres uterinos, sed propinquos etiam agnatos, quemlibet proximum, aut fratres moribus, aut professione, aut gente, aut amicitia junctos denotat, quod è multis S. Scripturæ locis elucet, ut Gen. 14. 14. Lev. 25. 46. Lev. 19. 17. Prov. 18. 19. Quo hic significatu sumatur, in sequentibus declarabimus, ubi nunc per integrum nostrum versum ejusque summam Divina favente Gratia pro virium nostrarum imbecillitate percurremus.

Dirigitur autem in præsenti hoc versu concio adversus Tyrios, qui ante omnia rei sistuntur gravium delictorum, tum in genere, tum in specie, in quo statu jam examinandi veniunt. Judicium ergo grave indicturus divinus vates non suo nomine agit, sed provocat ad dictum Jehovæ ex diversa ratione I. enim diversi Prophetæ Tyro favorabiles præcones non fuerunt, sed adversus grassantia ipsius peccata acriori zelo egerunt: testimonii loco inserviunt illa φορτικὰ quæ Jesai c. 23. Jerem. 25. 27. & 47. Ezech. autem c. 26. v. 17. 18. 19. habentur, quorum primus Amoso per aliquot annos σύγχρονος fuisse creditur. Hi omnes uno Domini Spiritu loquebantur, quorum συμφωνίαι nostri tanquam reliquis prioris instructionem cœlitus acceptam quasi comprobarunt. II. docere voluit, Eundem mentis suæ declarationem edere velle, adversus quem Tyriorum peccata ultimato pugnaverant, tantum quasi dicens: Multi hactenus adversus Tyriorum violentiam, fastum atque luxuriam locuti sunt, protestantes adversus vim & violentiam, sed surdis auribus dixerunt, & nimis tenuis illorum vox erat: nunc autem Dominus, qui loquitur & vocat

 terram

terram ab ortu solis ad occasum ejus Psal. 50. v. 1. os suum aperuit adversus Tyrios, cujus vocem, si in mentes non penetraverit, in effectu persentiscent. III. Convincere voluit peccaminosam gentem, quod Deo status ipsius satis cognitus sit. Sapiens enim non loquitur, nisi de rebus, quarum notitiam fundatam habet, quanto magis Deus, qui cœlum & terram implet Jer. 23. 24. cujus oculis omnia nuda sunt & adaperta Ebr. 4. 13. Multi ergò multa loquuntur, multa scribunt & profitentur de Regnorum situ, locorum magnificentia, opum abundantia, agrorum felicitate, incolarum numero, politico ordine & status cujuscunque arcanis; sed Propheta hic aperit aliter Deum sentire, & ante omnia loqui de statu alicujus populi quoad statum & conditionem in œconomia pietatis atque virtutum animi & contrariorum illis excessuum, sicut de Sodoma cum Abrahamo locutus est. Gen. 18. Objectum personale ergò hujus vaticinii est Tyrus, cujus nomen videtur desumtum à rupe præcipiti, cui in mari superædificata fuit, in Hebræo צור, quod in aliis linguis corruptum Sarram fecit denominari, imò & hodiè, quamvis à pristino statu plane aliena Sur dicitur. Condita fertur à Sidoniis, Josepho teste circa annum M. 2783. l. 3. A. M. Erat autem hæc regio, in qua tunc Palætyrus stetit forte hæreditaria à Deo destinata tribui Asser Jos. 19. 29. Sed nunquam ab illa occupata, & propterea non minima pars quasi præcisa ab illa benedictione, qua Moses ipsis prædixit tingendos esse pedes in oleo, calceos ex ære & ferro constituendos, & famam nominis perennaturam, in fertilitatem, metallifodinæ divitias & commodam occasionem cum aliis populis per commercia in notitiam deveniendi intendens Deut. 33. 24. 25. Erat emporium celeberrimum, quod tot colonias in mari duxerat, adeo ut Carthago in Africa punica veneretur incunabula. Virgil. Lib. I. Æn. ita scribit:

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra: tyberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli.

Facile autem in longinquis regionibus colonias plantare potuit, quia creditur navigationem invenisse, in quem finem Dionysius Afer scribit: Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο: & Propert. Lib. I. c. 7.

Utque maris vastum prospectet Turribus æquor.
Prima ratem ventis credere docta Tyrus.

Plinius lib. 7. c. 56. inventionem mercaturæ Tyriis adscribit. Quisquis ergo potentiam atque opes & in commercio mercatorio celebritatem exactius nosse vult,

adeat

adeat Ezech. c. 26. & 27. & Zach. 9. 3. Quanta magnificentia ex ruinis primis insurrexerit de eo vid. Curtius. Habemus itaque hic urbem atque portum maritimum, sicut hactenus de locis in continenti actum erat; adeo ut studiis suis & vitæ occupationibus plane diversis se exercerent, & differenti modo victum atque opes suas quærerent. Flori itaque externo & incolarum felicitati nihil deerat, & opum affluentiam mare quasi sine molestia suppeditabat: Deus autem per censuram Propheticam tria & quatuor, id est varia atque multa vitia in Tyro notavit, quibus mensuram peccatorum implevit. Prophetica oracula nobis aperiunt vestigia, ut ex multis quædam invenire possimus, luxum scilicet, & delicatam vivendi rationem in perpetua hilaritate Esaj. 23. 7. ædium splendore Ezech. 26. 12. & omnium ad extremam mollitiem compositione Ezech. 27. 4. 5. 6. 7. φιλαυτίαν, qua sibi maximè placebat Ezech. 27. 3. ultra sortem humanam se positam credebat. Ezech. 28. 2. dona animi ipsa admirabatur. Ezech. 27. 3. 4. 5. bonis fortunæ confidebat, ibid. imperiosa in vicinos evadebat. Ezech. 26. 17. ex spoliis miserorum ditescebat, & ruinam aliorum pro incremento suo habebat Ezech. 26. 2. Præsertim vid. Ambros. l. 2. Offic. c. 14. Notatur quoque violentia ipsius propter negotiationis multitudinem, quæ post se trahebat corruptionem donorum animæ & profanationem omnium sacrorum. Ezech. 28. 17. 18. Hinc videntur Tyrii nervum quidem ex opibus omnium nationum ad se traxisse, at simul ex longa consuetudine cum exteris etiam habitum pessimorum vitiorum. Et si ulla peccandi datur occasio, certè commercium mercatorium est Syr. 27. v. 2. 3. Status negotiatorum quidem simpliciter & in se spectatus Deo non displicet, & commerciorum ratio etiam inter regenitos locum habet 1. Thess. 4. 6. Si modum à Deo præscriptum tenet Lev. 19. 36. honoratur etiam elegantibus parabolis, Prov. 31. 14. Matth. 13. 45. exemplis honestis, maximè ut temporibus Salomonæis viguit. Cavendum autem quam maximè, ne ejusmodi invehantur merces, quæ luxum tantum alant, sed eæ tantum, quibus indigentiæ & necessitati civium consulatur, non vero mercatorum avaritiæ solum: Nimium enim lucri studium sæpius divinæ justitiæ contumeliam, conscientiæ stigma, proximo autem varia damna infert, nec juvant speciosæ excusationes, quibus ejusmodi imposturis patrocinium quæritur: quod Tyriorum exemplo clarissime edocemur.

Prætermissis autem hisce omnibus Propheta ad singulare Tyriorum peccatum descendit, traditionem scilicet proditoriam Israëlitarum in servitutem Edomæam, ex qua non erat speranda liberatio.

Cum autem ex sacris literis vel quodam alio monumento non constet modus, quo Tyrii populum Dei in vilem mancipatus durissimi sortem involverint, nihil certi asserere licet. Vel enim apertas hostilitates exercuerunt adversus finitimas tribus, & eos, quos sors belli infelices fecit, ac in manus ipsorum conclusit, Edomæis vendiderunt, ut in nundinis suis nulla mercium species deesset, si juxta cancellos hippocomorum etiam σωματεμπόροις, plagiariis atque mangonibus extaret campus vel forum, adversus quos apud Romanos lege Fabia cautum erat: lex autem divina sub ἀνδροποδιςῶν titulo æmulatur 1. Tim. 1. 10. vel id factum sub specie amicitiæ, quando Israelitæ ab aliis nationibus vim patientes extraque fines patriæ pulsi, quasi in asylum veteri amicitia sancitum sese contulerunt Tyrum, & sic semet ipsos in casses præcipitarunt, præfidentemque sinceræ familiaritatis opininonem graviter luerunt per supra memoratum tristem effectum. Posterius hoc pluribus Interpretibus placet, præsertim quia de malefidis Tyriis additur, quod non recordati fuerint fœderis fratrum. Verbum זכר in sacris literis non semper notat simplicem actionem Intellectus, qui per quandam ratiocinationem eorum, quæ jam antea cognovit & oblitus est, recordatur, sed simul emergens exinde certum animi πάθος vel inclinationem voluntatis ad concomitantem affectum. Solent enim secundum Idiotismum Linguæ sacræ verba quædam non tantum significationem usitatam, sed etiam quandam ejus quasi qualitatem, adjunctum aut conditionem simul indicare. Glass. Gramm. Sacr. Lib. 3. Tr. III. Can 14. Sic Deus dicitur recordari fœderis, quatenus illud per effectus gratiosos erga pios declarat. Psal. 105. 8. Homo autem aliquid reminiscitur, quando ex repetitione memoriali ante actorum vel sensus vel affectus animæ ad certam dispositionem moventur. Ita ad persuadendam benignitatem & humilem affectum erga servos pauperes atque peregrinos præcipitur recordatio servitutis Ægyptiacæ Deut. 15. 15. nec minus ex recordatione ciborum inordinatorum enata est inordinati adpetitus vehementior excitatio. Num. 11. 5. Opposita ergò negatio & memoriæ & affectuum abalienationem significat. Gen. 40. 23. 2. Par. 24. 22. etiam erga Deum Esaj. 17. 10. c. 57. 11. Pari modo oblivioni planè tradita erat confœderatio, enatumque exinde studium & boni favoris & promtæ officiositatis planè deferbuerat, imò in contrarium nisum abierat apud Tyrios. Quid autem per hoc fœdus intelligendum sit, disquiritur. Alii enim accipiunt de arctissima illa familiaritate atque necessitudine, quæ Davidi primum, deinde & Salomoni intercessit cum Hiramo, Rege Tyriorum & mu-

tuis

tuis signis confirmata fuit. 2. Sam. 5. 11. 1. Par. 15. 1. 1. Reg. 5. 1. hinc Salomo ab Hiramo frater fuit adpellatus 1. Reg. 9. 13. Aliis autem videtur subinnui recentior pristinæ amicitiæ renovatio, & utriusque populi ad exhibenda fraternitatis jura sancta obligatio, quam sine profano Numinis contemtu violare non licebat: Ex hac ratione mentio fit mutuorum commerciorum Ezech. 27. 17. 19. Ex quo promtus evadit sensus, qualis hic fraternitas significetur, nimirum non illa, quæ est inter germanos vel uterinos Gen. 25. 26. Consanguineos Gen. 13. 8. c. 31. 23. Contribules Lev. 19. 17. οἰκείους fidei 1. Cor. 15. 6. vicinitate junctos 1. Sam. 30. 23. Collegas 2. Reg. 9. 2. Act. 1. 16. sed vitæ consuetudine amicitiam quandam sinceram gignente constituta notitia 1. Reg. 20. 32. Causa violati hujus fœderis & renuntiatæ antiquæ benevolentiæ non quidem additur, sed absque dubio ex mutata fortunæ facie evenit, ut Judæi, qui in flore suo quærebantur, nunc à Tyro fortunæ superpondium nunc habente fastidirentur: novæ enim dignitates, dicente Cassiodoro, veteres solent amicitias immutare. Creat enim cor novum & novos affectus novæ dignitatis conscientia. Divites facti paupertatis amicos cum paupertate fastidiunt, ne quid penes eos de veteri inopia videatur resedisse. Semper enim apud indignos mores crescit cum potestate supercilium. Quanto autem encomio ornandum, quando majorum amici hæreditario quasi jure etiam possidentur, & inter honestas quasdam familias antecessorum laudabilis conjunctio semper revirescit? ad quam studiosè monet Salomo Prov. 27. 10. & Isocrates ad Demon. ait, Liberos ut opum, sic paternæ amicitiæ hæredes succedere. Inimica est autem Deo desultoria levitas & præceps ad singulas horas amicorum immutatio. Prov. 17. 17. c. 18. 24. Aben Esra diversam hic à nostra sententiam fovet, qui fraternitatis relationem non quærit inter Tyrios & Israëlem, sed inter Israëlem & Idumæum, quia Jacobus atque Esavus fratres erant, ex quo hunc defendit sensum: Vidisse Tyrum, quod Edomæi præ omnibus nationibus ferventius quæsiverint malum Israëlis, imò non recordati fuerint fœderis fraterni, ideoque conclusisse Israëlem in potestatem Edomi ad vindictam sumendam. Consentiunt cum hac explicatione Mercerus, Calvinus atque Drusius, qui ultima verba ולא זכרו pro προσδιορισμῷ Edomi tanquam nominis Collectivi habent & particulam ו pro אשר positam esse putant. Hoc modo exaggeratio delicti Tyriorum in eo consisteret, quod fratres in prælia armaverint, quod Deo abominabile Prov. 6. 19. Quia autem relatio hæc fraternitatis in subsequentibus demum venit, ideo hic non intelligendam esse

 judica-

judicamus. Videmus verò ex his omnibus, quam deteſtandum ſit vitium fœderum ruptio. Sunt enim fœdera promiſſiones mutuæ fidei, benevolentiæ ac ſocietatis arctiſſimæ, quibus partes ad mutua auxilia, defenſionem & alia officia certis conditionibus præſtanda ſibi mutuo obligantur. Habent autem auctoritatem ſuam non ſaltim ab ipſo Deo, qui ſuo exemplo ſanctificavit, ſed & communi gentium conſenſu & praxi. Sanciebantur plerunque religioſa Numinis invocatione, additis ritibus ſolennibus, quibus in eventum violationis dirum Anathema vel devotio in ſe ſuſcipiebatur. In ſolenni illa Dei conſtitutione cum Abrahamo animalia diſſecta per duos ordines diſponebantur, inter quos Deus in igne pertranſiit. Gen. 15. 17. Imitati ſunt hunc ritum Iſraëlitæ ſubſequentium ætatum. Jer. 34. 18. Imò & gentes extra Eccleſiam, quia apud Romanos mos erat cædere porcam ſilice, cum addita imprecatione, ita feriendum Populum Romanum, ſi prior fœdus rupiſſet. Liv. l. 1. Decad. 1. cui accinit Virgilius Cæſa jungebant fœdera porca.

In eundem finem reſpexit Ariſtides, qui inter ſolennem pacti de ſolvendis vectigalibus confirmationem maſſas ignitas mari injecit, Deos orans, ut tali modo extinguerentur, quicunque pejerarent. Plutarch. in Ariſt. Eodem referente Lucius Cinna lapidem ex vertice Capitolii præcipitem devolvit adjecto voto, ſi falleret, pari excuſſioni ſe ſubjiciens. Sinenſes etiam ſuper cineribus juramenta fieri volunt. An autem apud gentem ſanctam externo ritui, quo dividebant & ad tranſitum diſponebant animalia ſolennitati fœderali deſtinata etiam certa formula devovendi fuerit addita non liquet, de ipſa rei ſignificatione autem dubium non eſt. Mirum autem nemini videatur Deum adverſus fœdifragos tam ſeveram exercere animadverſionem, nec impunè abire ei, quem animi levitas ad tantum ſcelus impellit, quod Rom. 1. 31. Paulus gentibus tanquam infamem extincti luminis naturalis notam exprobrat. Ex ingenti exemplorum ejusmodi hominum, qui nulla fidei datæ ratione habita fœdera impie ruperunt, numero in ſacris literis plurima invenire licet 2. Sam. 21. 2. Par. 36. 13. Jer. 39.

Sed hic non immeritò quæritur, quomodo Deus Iſraelis illud fœdus, quod ex parte Tyriorum per falſorum Deorum invocationem confirmatum fuerat, ob violationem potuerit vindicare, ac ſi ipſe violatus eſſet: aut Iſraëlitæ vindictam expetere ob læſam ſanctitatem divinam? Ad quod ſciendum, gentiles quidem juraviſſe per id, quod revera Deus non eſt, & ſic ipſam invocationem religioſam quoad rationem ſuam intrinſecam fuiſſe illegitimam, nec tamen valore & effectu deſtitutam, quia obligatio facta eſt ſub opinione

veræ

verae Divinitatis invocatae, cujus laesionem non diffiteri poterat Ethnicus conscientia erronea peccans, & sic nec poenam incusare. Ex ea ratione etiam sancti foedera per Deos gentilium patrios olim admiserunt, ut Isaacus fidem Abimelechi jurantis per Deos patrios suspectam non habuit. Gen. 26. v. 31. nec Jacobus Labanem ad arctius vinculum coëgit, postquam per Deum Nahor praeter Deum Abrahami pacto familiae auctoritatem adjungere voluit. Genes. 31. vers. 53. Imò & hodiè admittuntur illae stipulationes, quae vel ab heterodoxae religionis hominibus cum appositione illicita sanctorum, vel ab infidelibus cum provocatione ad suos Pseudo-deos vel Pseudo-Apostolos obsignantur & ad robur suum perducuntur. Deinde & hoc dubium movetur, quare Deus praecipuè in hanc in Israëlitas commissam injuriam & violentam libidini aliorum expositionem animadverterit, cum ex recensione Prophetica superius memorata tot enormia peccata commiserint, quibus vel certius naturae dictamen reclamavit, vel tot nationes per continuum commerciorum exercitium eo delatae non leve offendiculum passae sunt. Docuit enim alios superbire, effoeminatos mores adsumere, lucris invigilare, & peregrinum habitum amare. Multa enim de Sarranis vestibus & aliis loquuntur auctores: Virgilius enim habet Sarranum ostrum, Juvenalis, Sarrana aulaea, Colummella Sarranam violam, i.e. Purpuram ex Tyro adductum? Sciendum autem, Deum hic stare tanquam Patronum ac vindicem Ecclesiae suae, ob memoriam foederis Gratiosi, ob quod membris illius fide sibi unitis omnia bona spiritualia communicat, & illorum sortem in se suscipit. Zach. 2. 8. Matth. 25. & tam profundè sensisse mala Israëlitis facta, quasi immediate adversus Ipsum vindicationis pruritus directus & opes Ipsius per expilationem distractae fuissent. Joel. 3. 4. 5. Quamvis enim Israëlitae turpiter defecerant, nec tamen Deus abdicabat Prophetas, constantes confessores Tob. 1. 2. atque coloniam suam occultam, quam semper inter externam corruptionem sibi reservavit 1. Reg. 19. 18. Cùm ergò de Israëlitis conclamatum esse credidit superba haec civitas, alium sibi Ministrum elegit Deus, Monarcham scilicet Babylonicum, qui absque dubio per tantam insolentiam, qua omnes obliquis adspiciebant hirquis, motus consilium de redigendis illis in ordinem iniit, & Deo ita disponente arctissima obsidione cinxit, & demum expugnavit, quod per partes enumeratur Ezech. 26. 7. sqq. Tunc ignis exarsit in ira Divina, fulgur enim gladii consumsit cives, statuas magnificas, per quas vel illustres viri, vel trophaea magnificentiae suae, vel turres

munitae

munitæ intelliguntur in cinerem redegit
opes & merces pretiosas, fax hostilis in ci
siderii, & ex miserabili demum busto pul
26. 11. Nec intra muros continebatur fur
ferro flammaque vastabatur, & tam horren
rapiebantur v. 8. 15. 16. & seqq. Ducitur a
civitas, quoties Deus & hisce temporibus ce
libus armis concutit, obsidionibus diutur
inter partes de Imperio litigantes poni
tio, quam altera per Alex
est.

SOLI DEO

INvictas repetita probant hæc prælia
Hinc eris in Templo firma colum
Ardua nimirum sectaris & omnia sum
Ut Domini possis *ducere ad Astra* gre

Hos flores inviolata Amici
solenni Amoris monumen
omnino sis complet
FRI

SUnt ea digna Viro, quæ Tu feliciter
Hinc Themis his ausis præmia

Hæc præstantissimo disser
spectato, publicum fe
PH

OPtatam poteris tandem contingere
Mature scrutans dogmata sacra
Fata velint, talem quondam veneretur
Qualem cunctorum Te fore vota

Hisce Præstant. Dn. Resp. A
sui spem concitans, præ
bona

n redegit flamma, ardor avaritiæ devoravit
ostilis in cinerem redegit muros & domos de-
busto pulvis in undas maris everrebatur. Ez.
ebatur furor hostilis, sed & ager circumjacens
tam horrendo casu omnes nationes in stuporem
Ducitur autem denuo in Scenam infelix hæc
nporibus celebriora urbium propugnacula hosti-
bus diuturnis adfligit, & quasi pomum Eridos
gantes ponit. Prima hæc erat Tyri devasta-
a per Alexandrum M. insequuta
est.

DEO GLORIA.

æc prælia vires:
ma columna Dei.
mnia summa:
d Astra gregem.

iolata Amicitia nostra Sanctitas TIBI spargere, hocque ris monumento, quod spem, quam sustines, ingentem o sis completurus, testari atque declarare jussit

FRID. JAC. BIBERUM, Mag. Cand.

---

u feliciter audes,
s præmia digna parat.

tissimo dissertationis Auctori Amico in utraque fortuna publicum felicissimi ingenii specimen edenti apponit

PHIL. FRID. HAAGE, Mag. Cand.

---

ontingere metam,
gmata sacra Dei.
veneretur ut orbis,
fore vota volunt!

Dn. Resp. Amico suo singulariter diligendo, cum magnam oncitans, præclaram indolem Luci publicæ exponeret, bona precabantur

COMPROMOTIONALES.